

stinguuntur, saltem à posteriori: quis enim infinitatem, quæ in opinione Doctoris est modus intrinsecus, & perfectio simpliciter in Deo, realitatem aliquam esse negabit: tum etiam, quia modus dicitur addi rei, cuius est modus: ergo si additur à parte rei, aliquid debet dici. Nec hoc videatur esse contra Doctorem: ipse enim non negat modum intrinsecum dicere realitatem: vt multi eius Discipuli, cum Landulfo, in prologo sententiarum, tenent: sed tantum negat dicere realitatem perfectiorem, & constituentem, vnâ quidditatem per se primo, & à priori; sicuti differentia: & quod hæc sit illius mens, patet ex verbis suis vbi supra; & alibi: Hæc ceteris enim modus est intrinsecus naturæ; & ab eo entitas positiva appellatur.

1. Conclus. Dicendum primo, ens per se diuiditur in decem genera per decem realitates nobis ignotas, quarum quælibet constituitur in suo esse quidditativo vnus gradus entis realis communicabilis multis à parte rei, qui genus supremum dicitur. Hæc est aliquorum formalizantium in formalit. fol. 241. minique certissima, & sine controuersia videtur: & probatur primo. Antecedenter ad modos intrinsecos, quodlibet Prædicamentum est verum ens reale per se completum: ergo in illo priori, quodlibet est vere constitutum realiter: ergo ratio illud constituens est aliqua realitas: quia constitutum reale necessario reale constituens requirit: Antecedens probatur: Substantia, v. g. in illo priori est gradus communis negatiue sufficiens ad fundandam relationem generis supremi: ergo necessario est ens completum: aliter enim esset gradus simpliciter simplex: quod tantum competit enti, vt abstrahit à decem Prædicamentis.

Secundo, modus rei, non constituit, sed præsupponit rem: aliter nõ esset modus, sed ratio constituens: ergo Prædicamenta in suo esse reali nõ constituuntur per suos modos: ergo per aliquid antecedens ad modos: sed illud necessario est aliquid reale: ergo in illo priori, aliqua realitas debet dari, quæ simul cum ente constituat gradum prædicamentalem.

2. Conclus. Dicendum secundo, decem Prædicamenta à posteriori, & nostro modo confuse concipiendi diuiduntur ens per se per decem modos intrinsecos positiuos: hæc est in nostra Schola communis: & probatur; ens reale nobis innotescit per esse in alio, tali, vel tali modo; & per esse per se, & in se: sed esse in se est modus intrinsecus substantiæ, quæ quidditatiue est natura, cui talis modus debetur: & esse in alio, modo art. 3. explicato, est modus intrinsecus Accidentium: ergo per tales modos diuisio entis manifestatur: nõ à priori, ex prima conclusione: ergo à posteriori.

3. Conclus. Dicendum tertio, diuisio entis realis per se in decem genera est immediata; ita vt non mediet alia bimēbris, aut trimēbris. Hæc est Doct. 5. Metaph. q. 6. §. concedo hæc argumenta: prope finem: patet: decem Prædicamenta sunt primo diuersa: ergo si inter ens, & illa, esset diuisio media, in illis membris mediatis conuenirent: ac per consequens non essent primo diuersa.

Ad argum. Ad argumentum contra hoc: distinguo maiorem: de diuisione extra genus, est falsa: de diuisione vero intra genus, est vera: dñ modo sit diuisio generis in species; vel subiecti in accidentia: quia hæc, licet non sit intra genus diuisio; est tamen absolute intra genus: secus autem; si fuerit diuisio intra genus speciei in indiuidua: nã hæc fit immediate per plura.

ione vero intra genus, est vera: dñ modo sit diuisio generis in species; vel subiecti in accidentia: quia hæc, licet non sit intra genus diuisio; est tamen absolute intra genus: secus autem; si fuerit diuisio intra genus speciei in indiuidua: nã hæc fit immediate per plura.

ARTIC. V.

An Prædicamenta realiter distinguantur?

TRIPLEX in hoc Articulo sententia versatur: prima est Ochami cũ suis Nominalibus in 1. dist. 24. q. 2. ad 1. & distinctiact. 30. q. 3. & in 2. dist. 1. q. 2. asserētis, non omnia Prædicamenta requirere distinctionem realem, aut formalem, per modos essendi; sed sufficere distinctionem rationis ratiocinata: cui sententiæ sic explicatæ subscribunt Fonseca 5. Metaph. & Suarez in Metaph. disp. 39. sect. 2. disp. 47. sect. 3. & disp. 49. sect. 2. Vazquez 1. p. disp. 22. cap. 5. & disp. 138. cap. 2. & disp. 173. cap. 2. & alij non pauci.

Secunda sententia asserit, nõ esse opus quod omnia Prædicamenta distinguantur realiter per modos realiter entitatiue diuersos; bene tamen esse necesse, vt distinguantur formaliter positiuè, seu actualiter, per modos essendi formaliter ex natura rei distinctos. Ita Araujo 5. Metaph. q. 1. art. 4. vbi ait esse expressam sententiã D. Thomæ ibidem lect. 7. & q. 7. de potentia art. 2. ad 2. & aliorum Thomistarum, quos ipse citat.

Primam partem probat primo, ex Arist. in Prædicamentis cap. de quantitate, testante, posse vnũ, & idem, in diuersis Prædicamentis collocari: ergo.

Secundo, Actio, & Passio, constituunt diuersa Prædicamenta: & tamen sunt idem motus, secundum rem: ergo, &c.

Tertia, sententia est Doct. 7. Metaph. q. 6. §. concedo ergo diuisiõnem sufficientem: & quod distinguuntur realiter. Doctorem sequuntur eius veri Discipuli ibidem: Paulus Venetus cap. 3. 1. & alij quos citat Suarez vbi supra, qui omnes tenent omnia Prædicamenta realiter inter se distinguui: pro cuius intelligentia notanda sunt, quæ sunt per Porphyrium q. 1. Proæm. art. 3. de distinctionibus adnotauimus.

Dicendum: Decem Prædicamenta distinguuntur à parte rei proprie realiter inter se: hæc contra primam, & secundam sententiam statuitur: & probatur primo. Prædicamenta, metaphysice loquendo, sunt decem entitates completæ, & impermixtæ, constitutæ ex ente reali per se, & ex alia realitate nobis ignota; vt art. præcedente diximus; ergo distinguuntur essentialiter: sed distinctio essentialis in creatis est distinctio realis: vt optime docet Leuchetius in 2. dist. 1. q. 4. ergo realiter distinguuntur.

Secundo probatur conclusio per singula discurrendo: nam Substantia, & Quantitas, realiter distinguuntur: quia separantur; vt patet in altaris Sacramento: de Qualitate etiam apparet: nam si Deus

1. Sentent.

2. Sentent.

1. Argum.

2. Argum.

1. Sentent. Doctoris.

Conclusio.

si Deus potest facere, vt Quantitas, cum sit accidens absolutum, sit sine subiecto; etiam poterit facere, vt Qualitas, quæ est accidens absolutum, sit sine Quantitate: vt probat Doct. in 4. dist. 12. quæst. 2. Maxime, quia qualitas suscipit magis, & minus; habet contrarium; & ad ipsam est per se motus: quæ omnia substantiæ repugnant: ergo distinguitur realiter ab illa: de relatione (licet non possit à fundamento separari: nam non omnia, quæ realiter distinguuntur, arguunt realem separationem) etiam patet: quomodo realiter à fundamento distinguatur: vt late ostendit Doct. in 2. distinct. 1. quæst. 5. & nos in suo loco ostendemus: de Actione, & Passione, & alijs, infra cum de quolibet in particulari egerimus, videbitur: ergo, si quodlibet habet essentiam completam à parte rei ab alio essentialiter distinctam; necessario, fatendum est, omnia essentialiter inter se distinguui: ac per consequens realiter.

Ad argum. Ad argumenta: ad primum dico implicare contradictionem idem entitatiue ad diuersa genera spectare: vt supra vidimus: quare dictum Aristot. debet intelligi per accidens: vel quoad modum tantum: de quo in cap. de Qualitate dicemus. Vide Doct. in 3. distinct. 1. quæst. 1. lic. D.

Ad secundum. Ad secundum, respondebitur infra cum de Actione, & Passione, egerimus.

ARTIC. VI.

An respondentur in Prædicamento secundum esse reale; An secundum esse cognitum?

QUIA argumenta, quæ pro vtrique parte fieri possunt vnica distinctione enodantur; ideo pro intelligentia difficultatis Notandum breuiter ipsam logice, aut metaphysice, intelligi posse. Si Logice sumatur; Prædicamentum est quædam comparatio, seu coordinatio prædicatorum superiorum ad inferiora; & è contra: & vt sic, certum est, Prædicamentum esse ens rationis. Si vero Metaphysice intelligatur; res, quæ in Prædicamento sunt; aut considerantur secundum esse reale, quod habent à parte rei; prout quodlibet prædicatum superior distinguuntur ex natura rei ab inferiori; & è conuerso; & prout sunt inter se ordinabilia in serie prædicamentali: quæ ordinabilitas est in ipsis rebus, nullo intellectu considerante: aut considerantur talia prædicata ordinabilia, prout ab intellectu cognoscuntur, & cognita denominatur ab actu absoluto intellectu possibilibus, qui proprie actus metaphysicus dicitur; quia per illum rerum quidditates cognoscuntur.

Dicendum primo, nullo intellectu considerante, datur à parte rei coordinatio rerum inter se, & verum Prædicamentum reale. Probatur: nulla scientia realis constituit suum obiectum; sed illud constitutum in rerum natura præsupponit; sed Metaphysica est vere scientia realis agens de decem Prædicamentis: ergo supponit ea rea-

Nota.

1. Conclus.

liter constituta: sed Prædicamentum est coordinatio rerum inter se: ergo à parte rei, nullo intellectu considerante, est talis rerum coordinatio.

Secundo, inter prædicata superiora, & inferiora, datur distinctio ex natura rei: ergo vnũ ex natura rei est alio inferius: ergo inter illa ex natura rei est ordo inferioris, & superioris: sed hoc est esse Prædicamentum reale: igitur, &c.

Dicendum secundo, si processu scientifico loquamur; prout, scilicet, Metaphysica considerat Prædicamenta; res secundum esse cognitum in prædicamento ponuntur. Probatur Metaphysicus indagans suum obiectum procedit per intellectum: sed talis processus est per cognitionem, à qua eius obiectum cognitum denominatur: ergo res, vt cognita, in processu scientifico, in Prædicamento collocantur.

2. Conclusio.

ARTIC. VII.

An res, quæ in Prædicamento ponuntur, abstrahant ab existentia?

PARTIS negatiue sit argumentum: datur vera scientia de re existente; vt existens est: ergo scientia agens de Prædicamentis ab eorum existentis non abstrahit. Consequentia tenet à paritate scientiarum; & obiectorum: Antecedens probatur: de Deo datur vera scientia: sed Deus includit existentiam in primo modo: vt tenet Doct. in primo, dist. 2. quæst. 1. ergo datur scientia de re existente; vt sic: ac per consequens demonstratio.

Argum.

Notandum primo, quod præfens difficultas etiam logice, vel metaphysice; moueri potest: loquendo, quia cũ liber iste, & res, de quibus in eo agitur, ad demonstrationem constituendam ordinantur; inquiritur; An existetia sit demonstrationi deserviens; An sufficiant essentialia prædicata; vt abstrahunt ab illa; metaphysice autem mouetur: quia cum Metaphysica rerum essentias consideret; prout sunt incorruptibiles; immateriales; perpetuæ; ac necessariae; & existentia videatur esse causa corruptionis; & materialitatis; ideo merito etiam metaphysice hæc difficultas vtilitatur.

1. Nota.

Secundo notandum: quod existentia est duplex: altera communis consequens naturam, seu gradum communem: altera singularis consequens naturam iam singularizatam: prima nõ est causa corruptionis; nec propter illam fit aliqua mutatio physica in natura: secunda vero est causa totius physicae mutationis: vt super Porphyrium, q. 1. vniuers. diximus.

2. Nota.

Dicendum: tam logice; quam metaphysice loquendo, res, quæ in Prædicamentis collocantur, ab omni existentia abstrahunt. Hæc debet esse communis: & quoad primam partem probatur ad demonstrationem solũ sunt necessaria prædicata in illo modo, quò fit ipsa demonstratio: siue sit demonstratio; quia; siue propter quid; sed talia prædicata in sua quidditate non includunt existentiam (quæcumquæ sit) vt ad demonstrationem concurrant: ergo logice loquendo ab existentia abstrahunt. Maior est certa: nam si

Conclusio.

fit demonstratio, propter quid; solum prædicata in primo modo sufficiunt secundum proprias quidditates; sine existentia: & si fuerit demonstratio, quia, sola prædicata secundi modi, secundum se; prout à proprijs existentijs abstrahunt. Minor probatur: quia omnis modus est posterior sua quidditate; sed omnis existentia est probabiliter modus; ergo est posterior essentia: ac per consequens, non erit de illius quidditate.

Secunda pars constat: nam Prædicamenta Metaphysice sunt ordinationes prædicatorum essentialium in primo modo essendi per se: sed primus modus essendi per se abstrahit ab existentia; ergo, & ipsa prædicamenta, seu res prædicamentales, ab existentia abstrahunt.

Ad argum.

Ad argumentum respondeo dupliciter: primo: nego antecedens: nam licet habeamus scientiam de Deo quoad alia prædicata: ut quod sit sapiens; bonus; &c. Non tamen quod sit existens: nam existentia tantum est nota ex se intellectui intuitiue concipienti; non vero si abstrahat intellectus.

Dices, à prædicatis primi modi non fit abstractio: sed existentia in Deo est prædicatum primi modi; ergo ab illa non fit abstractio: ac per consequens non potest esse scientia de Deo; quin de eius existentia non habeatur.

Respondeo, cum distinctione maioris: non fit abstractio ab intellectu distincte concipienti: concedo; ab intellectu confuse cognoscente: nego maiorem: & consequentiam: nam cum confuse Deum pro isto statu cognoscamus: & eius essentiam; existentiam; & singularitatem, cognoscere naturaliter non possumus. Hinc est; quod possumus ab illa abstrahere; & scientiam de alijs prædicatis habere.

Secundo respondeo: quod de Deo non habemus scientiam proprie; sed large: & ideo nulla fit propria demonstratio de Deo; & de eius existentia; sed large: de quo consule Doctorem, & expositores eius quæst. 3. prolog. de quo ego late ibidem dixi.

ARTIC. VIII.

An detur undecimum Prædicamentum reale respectu rerum supernaturalium?

VM entia supernaturalia sunt in duplici differentia; videlicet, ens supernaturale per essentiam; & est Deus; & per participationem: ut sunt formæ accidentales creaturæ; nempe, gratia; lumen gloriæ; fides; spes, &c. de his omnibus inquirimus; An in Prædicamento ponantur: & si sic: An in istis decem: An in alio ab istis decem distincto?

1. Sentent.

Prima sententia est Roberti Olchot in primo quæst. 5. & Alberti de Saxonia, ac Aliorum Nominalium asserentium Deum in Prædicamento ponisicut, & reliqua entia supernaturalia creata: non tamen tale Prædicamentum ab istis decem distingui: probatur quoad primam partem;

1. Argum.

nam in secunda nobiscum sentiunt: Deus secundum

Sanctos Patres; & multos Philosophos, dicitur substantia; quantus; pater; filius; esse in loco; agere. &c. Ergo Deus in istis generibus collocatur.

2. Arg.

Secundo, ratio infinitatis addita substantiæ non extrahit ipsam à Prædicamento: ergo etiam, si Deus sit substantia infinita; poterit in Prædicamento collocari: antecedens probatur: infinitas addita quantitati non extrahit illam à Prædicamento: ergo nec infinitas intensiva extrahet substantiam à Prædicamento.

3. Argum.

Tertio, mensura, & mensuratum, sub eodem genere collocantur: Deus est mensura perfectissima omnium rerum, quæ in Prædicamento ponuntur: ergo debet poni in Prædicamento, simul cum ipsis rebus. Alias rationes vide apud Doctorem in primo, distinct. 8. quæst. 3. lit. P.

2. Sentent.

Secunda sententia per oppositum tenet Deum in Prædicamento non ponis bene tamen entia supernaturalia creata: sed tale Prædicamentum est aliud ab istis decem: probatur hoc secundum: quia

Argum.

dabilis est coordinatio qualitatum supernaturalium, in qua sint genera, & species; ac superiora, quæ de inferioribus quidditatiue prædicantur: sed hæc non est eadem cum coordinatione qualitatum naturalium: quia nequeunt in vnius generalissimi coordinationem venire; nisi ea, quæ sub illo vniuocè conueniunt: ea autem, quæ diuersi ordinis sunt; puta naturalis, & supernaturalis; differunt plusquam genere: quia differunt ordine: & ideo nequeunt sub vno genere coordinari: erit igitur coordinatio qualitatum supernaturalium à naturalium coordinatione distincta: ac proinde distinctum Prædicamentum reale ab istis decem.

3. Sentent. Doctoris.

Tertia sententia affirmat tantum esse decem genera rerum; in illisque collocari entia supernaturalia creata; non tamen Deus: hæc sententia est communis cum Doctore locis citandis.

1. Conclus.

Dicendum primo. Deus Opt. Max. non ponitur in Prædicamento. est Doct. tractatu de primo Principio cap. 4. & in primo, ut supra lit. F. & late ab illo probatur: sed Nos duplici tantum ratione pronunciamus: prima ex parte infinitatis sic procedit: conceptus habens indifferentiam ad aliqua; ad quæ conceptus generis non potest esse indifferens; non potest esse conceptus generis: sed quidquid dicitur communiter de Deo, & creatura, est indifferens ad finitum, & infinitum; loquendo de essentialibus: vel ad finitum, & non finitum; loquendo de relationibus Diuinis, quæ formaliter non sunt finitæ; aut infinitæ: & nullum genus potest esse indifferens ad finitum, & infinitum; ergo talis conceptus dicitur de Deo, & creatura, non est genus: ac per consequens intentum. Prima pars minoris patet: nam quidquid est in Deo perfectio essentialiter; est formaliter infinitum; in creatura vero finitum: ergo conceptus, qui est communis Deo, & creaturæ, debet esse indifferens ad infinitum, & finitum: sicut sunt omnes conceptus superiores ad inferiora. Secundam partem minoris probat: quia genus sumitur ab aliqua realitate, quæ secundum se est potentialis ad realitatem; à qua sumitur differentia: sed nullum infinitum est potentialis ad aliquid: quia nullum est componibile: ergo conceptus generis; cum necessario

fit potentialis, & componibilis; non potest esse indifferens, & superior ad infinitum: ac per consequens, nec Deus; nec aliquid dictum de Deo; cum sint infinita; erunt in Prædicamento.

Secunda ratio procedit ex necesse esse; & est talis: si necesse esse includit in se genus; vel genus est ex se necesse esse; vel non: si sic: ergo genus semper habet differentiam actu in se: quia genus non est in actu ultimo sine differentia; & si est necesse esse ex se; est in actu ultimo: & habet actu differentiam: & ita non est genus: quia genus semper est in potentia ad differentiam. Si non est necesse esse: ergo necesse esse constituitur ex aliquo, quod non est necesse esse; quod implicat: sed Deus ex se est necesse esse: ergo non includitur in aliquo genere: nec aliquid dictum de ipso Deo: cum omnia in eo sint necesse esse.

2. Conclus.

Dicendum secundo, entia supernaturalia creata ponuntur in Prædicamento rerum naturalium: ita quod nullum speciale datur de illis Prædicamentum: hæc videtur esse Doct. in 3. dist. 34. quæst. vnica lit. D. & in 4. dist. 6. q. 10. & alibi quoties de formis supernaturalibus loquitur: eam tenent Soto cap. de Qualitate quæst. vnica, post solutionem argumentorum; & Araujo, lib. 5. Metaph. q. 1. art. 2. cum alijs. quos ibi citat: & probatur ab ipso in conclusione prima: nam aliter tot deberent esse Prædicamenta supernaturalia; quor coordinationes prædicatorum sub generalissimis per se primo à tali Prædicamento distinctis at sunt quatuor coordinationes sub quatuor generalissimis primo diuersis: altera modi substantialis; qualis est vniuocè Hypostatica: altera Qualitatis: ut fidei, Spei, Charitatis habitus: Alia Actionis; ut sunt actiones sacramentorum; & alia Passionis; ut in recipientibus sacramenta constat: quæ omnes coordinationes; sicut in naturalibus: ita in ordine supernaturali, sunt primo diuersæ; & in nullo genere conuenire nequeunt: ergo tale genus entium supernaturalium est impossibile.

3. Conclus.

Secundo, Prædicamenta accidentium sumuntur penes modum afficiendi primam substantiam, quæ debet esse eiusdem ordinis cum eis: sed nulla datur prima substantia supernaturalis susceptiua Accidentium supernaturalium: ut late cum Doct. in prima quæst. prolog. diximus: ergo nullum datur Prædicamentum talium entium distinctum ab istis decem: sed talia entia sub eis comprehenduntur.

Dicendum tertio, entia supernaturalia per se, tanquam species sub genere, in his Prædicamentis collocantur: hæc est Doct. locis citatis, contra Araujo conclusionem secundam, asserentem tantum reductiue ad ea pertinere: probatur primo. Charitas v. g. est ens completum, & vera species entis: ergo generalissimum Qualitatis, sub quo continetur, prædicatur de ipsa, sine ordine ad aliquid ens naturale: quia Qualitas ex se abstrahit à qualitate naturali, vel supernaturali; sed est permissiue qualibet illarum: ergo non reductiue sed per se, in ordine entium supernaturalium, sub qualitate ponitur.

Secundo, nullum perfectius reducitur ad imperfectius: sed è contra: entia supernaturalia sunt perfectiora entibus naturalibus: ergo non redu-

tuntur ad ipsa: ergo gratis dicitur: quod ideo reducuntur: quia sunt perfectiora entibus naturalibus.

Ad primam Nominalium.

Ad argumenta Nominalium respondetur: ad primum dico: omnes illas auctoritates debere intelligi abusive: ut ait Augustinus; & quando Deus dicitur substantia; sumitur substantia transcendentaliter: vel prout cum ly Vna conuertitur: vide Doct. in primo, ut supra lit. V.

Ad secundam.

Ad secundum, nego antecedens: ad probationem dico: infinitatem extensiuam, & secundum quid, poni in Prædicamento: quia ex se seta per est finita, & limitata; & ex genere, & differentia, constat: secus est de infinitate intensiva, & simpliciter: quia talis est extra omne genus. Maxime quia talis additur substantiæ transcendentali; & ita nihil urget argumentum.

Ad tertiam.

Ad tertium, distingo antecedens: de mensura adæquata, & proportionata: concedo: de inadæquata, improporionata, & altioris ordinis: qualis est perfectio diuina, respectu perfectionis creaturæ: nego antecedens.

Ad argum. 2. sentent.

Ad argumentum secundæ sententiæ, nego minorem: nam ens naturale, & supernaturale, vniuocè Analogice in vno generalissimo conueniunt: nec perfectio entis supernaturalis hanc conuenientiam tollit: sicut, nec perfectio Dei impedit, ut creatura in conceptu entis vniuocetur.

ARTIC. IX.

An detur undecimum Prædicamentum secundarum intentionum?

Argum.

QVOD non videretur tam Aristoteli quam Doctori, tantum decem Prædicamenta conceduntur: ergo undecimum concedere illos diminutionis rearguit.

Nota.

Notandum: quod licet fundamenta secundarum intentionum non sint; nisi entia realia, quæ in decem Prædicamentis continentur: seu illa, quæ secluso actu intellectus, ad ea reducuntur: nihilominus formaliter loquendo in quolibet Prædicamento potest fundari vnum generalissimum entis rationis: nam in quolibet potest fundari secunda intentio indiuidui: speciei: generis: subalterni: & generis supremi. Cæterum cum coordinatio secundarum intentionum non respiciat rerum quidditates: sicut ens reale: sed tantum modum prædicandi; & ordinem prædicatorum inter se: & iste sit idem, & æqualis, in omnibus Prædicamentis realibus: ideo, licet Prædicamentum secundarum intentionum fundetur, & sit denominatiue in decem generibus: ipsum tamen est vnicum tantum: & in illo, omnes secundæ intentiones, per se, vel reductiue; collocantur.

Conclus.

Dicendum: præter decem genera rerum dandum est aliud Prædicamentum secundarum intentionum, quod ab illis decem tantum ratione distinguitur: hæc est Doctoris, & probatur: in secundis intentionibus datur coordina-

tio superioris, & inferioris. Vtque ad individua: sed talis coordinatio non est aliquaistarum decem: ergo alia ab eis: & non distincta, nisi per intellectum: ergo, &c.

Ad argum. Ad argumentum dico: quod illi tantum de Prædicamentis realibus egerunt: nec fuerunt diminuti: quia agentes explicite de ente realis, implicite de ente rationis egerunt.

ARTIC. X.

An sola entia vniuoca, & incompleta, in Prædicamentis collocentur?

1. Argum.

PARS negatiua probatur primo: Prædicamentum est series rerum, quæ ab intellectu apprehenduntur: sed quomodocumque res apprehendantur, possunt coordinari: ergo non requiritur determinata apprehensio vniuoci, & incomplexi: sed æquiuoca, & complexa, possunt inter se ordinari, & in Prædicamento poni.

2. Argum.

Secundo, species secundum se est quid complexum: cum dicat easdem partes, quas dicit diffinitio: & tamen ponitur in Prædicamento: ergo aliquod complexum in Prædicamento collocatur.

Nota.

Notandum: quod, vt aliquid ponatur in Prædicamento, duo requiruntur: vnum ex parte rei cognitæ: & aliud ex parte intellectus cognoscens: primum est: vt res sit ens finitum, reale, vniuocum, & per se vnum, suis partibus essentialibus completum: secundum est: vt ab intellectu apprehendatur, tanquam quid commune, vniuersale, ac incomplectum, & modo incomplectum.

3. Conclus.

Dicendum primo: æquiuoca, & complexa, vt sic, nullatenus in Prædicamento ponuntur: est communis: & probatur primo: Prædicamentum est coordinatio prædicatorum simplicium: sed æquiuocum, & complexum, vt sic, non sunt prædicata simplicia: sed quodlibet est plura prædicata: ergo, vt sic, non ponuntur in Prædicamento: sed potius distinguenda sunt: cum sæpe res diuerforum generum importent.

Secundo, nullum ens per accidens ponitur in Prædicamento: sed complexa sunt entia per accidens: ergo.

Dices; maiorem esse veram de complexis plura significantibus: vt homo albus: non vero de complexis vnum simplex importantibus: vt animal rationale, & quælibet alia diffinitio, quæ æquiuolet rei simplicis, scilicet, suo diffinito. Vnde sicut diffinitum ponitur in genere: ita & diffinitio. Maxime quia hoc docuit Porphyrius apponens animal rationale pro quodam genere: vt cap. de specie patet.

Respondeo: quod licet quælibet diffinitio suo æquiuolet diffinito: & eadem naturam a parte rei importet: nõ tam æquiuolet illi in modo significandi: & ex parte intellectus apprehendens: & cum res ponatur in Prædicamento: prout ab intellectu, tanquam genera, & species, concipiuntur modo incomplexo: sequitur, quod diffinitio: quia nec, vt in complexum, nec vt genus, aut species, possit apprehendi: sed vt complexum; reijciatur a Prædicamento: nec aliud voluit Porphyrius.

Dicendum secundo, sola vniuoca, & incompleta, ponuntur in Prædicamentis: hæc ex præcedente probatur: quia inter æquiuocum, & vniuocum: complexum, aut incomplectum, nõ datur mediũ: ergo si æquiuoca, & complexa, nõ ponuntur in Prædicamento: sequitur, quod sola vniuoca, & incompleta ponentur.

Ad argumeta: ad primũ distinguo maiore: est series rerum, quæ ab intellectu apprehenduntur, modo incomplectum, & vniuocum; prout sunt a parte rei: concedo: sed, si modo æquiuocum, & complexum, apprehendantur: & sic, est falsa minor: nõ æquiuoca, & complexa, non possunt ordinari secundum, sub, & supra.

Ad secundum, distinguo maiore: est quid complexum secundum æquiuocum: concedo: in modo significandi, & apprehensionis intellectus: nego maiorem: nam, vt sic, species est quid incomplectum; quod non habet diffinitio. Maxime quia complexio, & incomplectio, non penes res, sed penes voces per se attenduntur: & sic nihil concluditur argumentum.

ARTIC. XI.

An entia incompleta, Priuationes, & individua, directe in Prædicamento, collocentur?

EST quod Priuationes directe in Prædicamento collocentur, probant aliqua argumenta in littera: de entibus vero incomplectis, probatur primo, genus est pars speciei; sicut, & differentia: sed genus ponitur in recta linea, & directe: ergo, & differentia.

Secundo: partes physice fundant genus logicum; ac etiã differentia: vt supra Porphyrium vidimus: ergo directe in Prædicamento ponuntur: patet cõsequencia: nõ genus logicum ad Prædicamentum ordinatur: sed omnẽ Prædicamentum est ens per se completum: ergo, & genus logicum in ente per se completo fundabitur: sed fundatur in materia, & forma: ergo tales sunt per se in prædicamento.

Pro decisione notandum primo, quod ens per se completum, quod directe in Prædicamento ponitur, est duplex: aliud, quod nõ potest aliud ens per se, & essentialiter, cõstituere: vt hic homo, hæc albedo: aliud, quod potest aliud ens per se essentialiter cõstituere: vt sunt genera, quæ partem essentialẽ speciei dicunt; & in suo ordine entia completa sunt: quia ex alio genere, & ex alia differentia, seu modo intrinseco cõstituuntur: & species etiam completa entia dicuntur: licet cum singularitate individua cõstituunt: sed de his entibus completis non est dubium, quod per se ad Prædicamentum spectent: dubium tantum est de entibus completis ad alia ordinabilibus: v. g. de animali, & reliquis, quæ in quid, vt partes, prædicantur: & similiter de differentiis: v. g. de sensibili: An cum animali directe in Prædicamento ponatur: & rationale cum homine: & pariter de materia, & forma physica, cum substantia Physica.

Secundo notandum: quadrupliciter posse poni aliquid in Prædicamento: primo directe, & per se: vt sunt prædicata omnia, quæ de alijs in primo modo;

2. Conclus.

Ad primũ.

Ad secundũ.

1. Argum.

2. Argum.

1. Nota.

2. Nota.

modo, & in primo gradu dicendi per se, prædicatur: qualia sunt entia illa, quæ completa, & per se, dicuntur: secundo modo ponitur aliquid indirecte, & lateraliter, quod non per se, sed cum alio collocatur: vt modus intrinsecus; differentia; & singularitates. Tertio modo reductiue, quod ponitur cum alio, cui est idem realiter: vt passionis cum subiecto: & termini cum re, quam terminant: vt substantia cum natura: puncta cum linea; muta esse; ac instantia, &c. Quarto, & ultimo ponitur aliquid in Prædicamento per accidens: & est illud, quod, licet secundum se peculiare Prædicamentum postulet; nihilominus quatenus dicitur via, seu dispositio ad aliqua, quæ per se in Prædicamento ponuntur: ad idem pertinere dicitur, vt generatio, & corruptio, ad substantiam: alteratio, ad qualitatem; augmentatio, ad quantitatem: ac tandem omnis dispositio, vt recipitur in passo, ad genus illius formæ, ad quam disponit.

3. Not.

Tertio notandum: quod linea recta prædicamentalis duplex est: altera adæquata: altera inadæquata: & hæc rursus duplex; sicut duplex est subordinatio prædicatorum sub eodem Prædicamento: v. g. substantia diuiditur per Corpoream, & Incorpoream: Incorporea, cum alijs generibus vsque ad infimas Angelorum species, constituit vnam lineam rectam inadæquatam: & substantia corporea, viuens, animal, & homo, aliam lineam rectam etiam inadæquatam: & ex vtraque vna linea recta adæquata coalescit, quæ vnicum adæquatum Prædicamentum cõstituunt: Prædicamentum enim instar cuiusdam arboris est considerandum: vnde sicut ex vno arboris trunco varij rami procedunt: sic ex eodem genere summo per duas oppositas differentias diuiso, duo genera subalterna propagantur; quæ rursus per alias differentias diuisa duas lineas inadæquatas cõstituunt, vnam adæquatam cõstituentes. De alijs lineis collateralibus differentiarum; & quomodo suo modo generalissima dicantur: vide Doctorem interim quæst. 24. lib. 1. Posteriorum.

4. Not.

Quarto notandum: quod aliquid dicitur poni per se, & directe, in Prædicamento, dupliciter: primo tanquam prædicatum conducens ad artẽ, & scientiam; & tanquam id, quod est explicatiuũ totius essentiæ rei: & hoc modo solum prædicata essentialia alicuius naturæ, quæ in quid prædicantur; ponuntur directe in Prædicamento: secundo modo ponitur directe, tanquam subiectum, basis, & fundamentum, sustentans, & continens omnia talia prædicata a specie infima, vsque ad genus supremum. Est tamen discrimen inter hæc: nam quæ primo modo directe in Prædicamento ponuntur, necessario debent esse finita: vt essentialia rei possit apprehendi; & ideo incipiunt a genere supremo vsque ad speciem infimam: quæ vero secundo modo collocantur, non inconuenit esse infinita syncategorematicæ: cum non ponantur, prout inter se ordinantur: sed prout superioribus subijciuntur.

1. Conclus.

Dicendum primo, nulla pars physica in abstracto, siue essentialis sit, siue integralis, ponitur per se in recta linea prædicamentalis: hæc est Doct. infra quæst. 4. de substantia & probatur argumentis ab eo ibidem factis: vt ibi videbimus.

Dicendum secundo: partium Metaphysicarum solum genus in concreto ponitur directe in Prædicamento: patet: nam tantum illud ponitur directe in Prædicamento, quod est ens completum, & prædicatum in quid, de suis inferioribus: sed solum genus est huiusmodi; si in concreto suatur igitur, &c.

2. Conclus.

Dicendum tertio, omnes partes, tam physice, quam integrale; modi intrinseci; termini naturarum, ponuntur in Prædicamento; vel reductiue; vel indirecte: modo in not. 2. explanato: hæc est communis; & probatur: genus supremum per modum superioris, totiusque potentialis, consideratum, continet in confuso, quiddam individuum, quod est vere ens completum, continet: ergo, vt sic, est ens completum: ergo, vt sic, nõ prædicatur directe de omnibus istis; cum in sua ratione formali ordinem ad aliud aliquomodo constituendum dicunt; quo ordine caret genus, vt totum potentiale sumptum: prædicatum enim completum non nisi de inferioribus completis; sicut in completum de incomplectis; prædicari valet.

3. Conclus.

Dicendum quarto, Priuationes reales ponuntur reductiue in illis Prædicamentis; in quibus ponuntur habitus, quorum sunt Priuationes: est communis: & probatur in textu.

4. Conclus.

Dicendum ultimo: individua ponuntur directe in Prædicamento, vt bases, & fundamenta, sunt prædicatorum superiorum. Hæc est communis contra labellum in sua Logica: & probatur primo: individuum est ens per se, completum, cõtinens omnia prædicata lineæ, quibus subijciuntur; & quæ de illo essentialiter prædicantur: ergo nihil illi deficit; vt sit in Prædicamento.

Vlt. conclus.

Secundo, duo correlatiua limitata ad idem per se pertinent Prædicamentum: sed individua, & prædicata superiora, sunt huiusmodi: cum se tanquam subiectum, & prædicatum, respiciant igitur, &c.

Tertio, Philosophus diuidens substantiam in primam, & secundam, posuit vtramque per se in eodem Prædicamento: sed prima substantia est individuum; & secunda prædicata superiora: ergo. Ad fundamentum labelli patet ex not. 4. infinitas enim indiuiduorum nõ obstat; vt aliquid, tanquam basis, in Prædicamento ponatur: nec autoritas Porphyrij ponentis cap. de specie pro extremis vnius Prædicamenti ipsum generalissimũ, & speciem infimam, cõiunctum: nam loquitur Porphyrius de prædicatis tantum: non vero de ultimo fundamento, de quo ipsa prædicata dicuntur.

Ad argumeta ad primũ dico: quod paritas rationis nõ tenet: nõ licet tã genus, quã differentia, sint partes speciei; & de illis in concreto generalissimũ prædicetur: istæ enim sunt veræ: animal est substantia: rationale est substantia: nihilominus, cum genus sit extra rationem differentiarum, & nõ sit extra rationem suorum inferiorum; sed de eis in quid prædicatur: ideo inferiora generis in recta linea ponuntur: in concreto sumpta: & differentia semper ad latum ratione formalis significati.

Ad primũ.

Ad secundum patet ex dictis super Porphyrium, q. 2. de genere art. 1. conclus. 2. non enim omne genus prædicabile est genus prædicamentale: licet bene e contra, Vide ibi.

Ad secundum.